DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis
16 *Martii* M. DCC. XXX.

M. FRANCISCO POUSSE,
Doctore Medico, Præside.

An Chirurgia Medicinæ principiorum inops sit manca?

I.

THERAPEUTICES, eam quæ manûs ope morbis externis Corporis humani medetur partem Chirurgiam dixere Medicinæ parentes Græci. Hanç ad tria Capita, Διαίρεσιν seu Solutionem Continui, Σύνθεσιν Soluti Unionem, & Εξαίρεσιν Superflui Extractionem revocarunt. Etsi manûs ope suum absolvat munus Chirurgia, non ideò in Arte medendi infimum tenet locum, non tantùm utpotè cæteris Medicinæ partibus forsan antiquior, sed ut agendo certior; quod enim sensibus se dat obvium, faciliùs tutiùsque è Corpore humano eliminatur, quam quod interioris & obscuræ causæ fuerit effectus aut symptoma. Chirurgia partem affectam perlustrat oculis, manu contrectat priùs quàm se se ad opus accingat. Medicina Symptomatis sæpius æquivoci causam latentem & dubiam in imis naturæ penetralibus rimatur, quam in medium proferre nequit, nisi ex

Anatome & exquisito cujuscunque partis officio, illarum motu & Energeiâ, cum certis quibusdam partibus consensu & analogiâ, fluidorum, quibus solida irrorantur, aut quæ in suo sinu recondunt, aut eliminant proprio motu; & bene priùs intellectis. Quantus sit in Medicinâ labor nemo non novit; at nulli mirum, cum hujus singula pars innumeris obnoxia difficultatibus, naturæ utpotè obscuris subdita motibus. Hinc Chirurgia, quantumvis perspicaci licet oculo prædita, manûsque quantumvis dexteritate instructa, suum semper aut ineptè aut fortuitò exequetur munus, nisi certâ & genuinâ suffulta methodo.

I I.

FINEM inter & media connexionem, non ineptè dicas methodum: hujus aut fœtus aut parens Experientia. Nulla etsi vilior Ars expers methodi: nulla quippe media non adhibet, quorum repetitus usus quamdam non astruat normam. Hanc Magistri ad Tyrones traducunt: hæc Tyronibus tradita disciplina, in Arte efficit Expertos, quorum in media animadversio ad causæ rationem ducit, quæ genuina in posterum principia sufficit. Hoc in mechanicâ videre est quæ Geometriæ innixa legibus, Artes statuit certas; hinc Ars Nautica, Bellica, Hydraulica Experientiæ Causarum jam non ignaræ, certum assequuntur finem, quem sola priùs experientia felicem, quamvis non tarò, dubium semper obtinuit. Ex mediorum in Artibus cognitâ causâ, illarum emergit progressus, utilitas, splendor; quò magis humano generi fuerit Ars utilis, eò colenda magis, magis ornanda lucubrationibus, novis illustranda studiis, inventionibus amplianda. Ars Chirurgica cæteras antecellit Artes, & objecti dignitate, & utilitate finis: quid enim præstantius quàm Corpus humanum à statu naturali dimotum, ad nativum, saltem quoad vitæ incolumitatem, reducere? At quò major Artis utilitas, eò major methodi sciendæ necessitas; hanc non ab aliis Chirurgiæ Studiosus expectare potest principiis, quam ex ipsâmet hujus almâ parente Medicinâ.

I I I.

OMNIUM partium quæ vel sanitati tuendæ vel restituendæ dant operam, Medicina fons est & origo. Ars dicitur morbis (quantùm sanabilibus) debellandis apta: hinc innumeras exigit dotes quas vitæ summa brevis ægrè finit Medicum adipisci; has inter Medicum propiùs spectant morbi cognitio, Symptomatum, causæ, signorum, prognoseos & mediorum quæ morbi valent delere causam, aut Symptomatum temperare ferociam. Quæ adhibet media, vel ex sola Diætice, vel ex Pharmaceutices penu, vel ex Chirurgiæ auxilio depromit; hæc quotquot, Medicinæ sunt juris, naturæ legibus utpotè subditæ, quarum priusquàm Medicinæ salutet limina peritus sit Medicus necessum: Unde adagium: ibi incipit Medicus ubi desinit Physicus. Non in solâ Corporis humani fabricâ, nec hujus functionum accuratâ cognitione omnem Medicina continet scientiam: aliis priùs informatur quæ utpotè generaliores, ad particularium cognitionem veluti filo ducunt, & Medico præbent facem ad naturæ motus in Corpore humano apprimè dignoscendos. Leges motûs, hydrostaticen, quâ pondus & æquilibrium, & renitentiam liquorum noscat; Physicam particularem, quâ aëris pondus & elaterium; Opticen quâ colorum causa, Geometriam quâ solidorum vires, Chymiam quâ effervescentiarum causæ necnon saporum diversitas innotescunt, Sedulus inquirit. At cum quidquid natura promit, aut in sinu recondit, Medicinæ sit juris, seu medicamenti seu alimenti formâ præscribat, animalium, vegetabilium, atque mineralium triplicem investigat familiam. Hæc tam ampla seges quæ Physicam, Linguarum facundiam atque Geographiam desiderat ad animalium, vegetabilium, atque mineralium cognoscendas vires ratione locorum diversas, non soli Medicinæ competit, sed & Chirurgiæ, iisdem quibus ipsamet Medicina principiis, iisdemque mediis omninò suffultæ.

I V.

MORBORUM quibus medetur Chirurgia, vel interna, vel externa causa est; hæc maximè in vulnere simplici, curatu facilior: Noli tamen in solo manûs ministerio curationem reponere: pro periculi metu, aut dolore, ægrotantis læsa imaginatio, sæpiùs solidorum infert ataxiam, & fluidorum pervertit diathesim quæ pro variorum Symptomatum variâ causâ, specialem exigit Therapeiam; nervorum consensum; unde morbi sympathici Nevrologia, varios animi pathematum effectus Hygyeine docebit, quarum rudis, fortuitam & periculosam expectabit Chirurgia curationem. Hinc sæpiùs remediis incassùm adhibitis, vulnere minùs quàm Curantis ineptâ methodo, æger corruit. Vulneris interna causa ut v. g. ὀγκῶν, idest Tumorum in genere, ἀποσθημάτων id est ad suppuratiouem vergentium, omnes Medicinæ tum Theoreticæ tum Practicæ partes involvit. Partis affectæ functiones Physiologia docet, morbum, hujus causam & symptomata Pathologia; ex utriusque principiis liquet, quisnam exuperet humor, quonam in viscere stagnet, an criticè, an symptomaticè foras erumpat: motuum naturæ facient fidem pulsus, urinæ, cutis habitus, lingua, somnus, vigilia & alia quæ suffecerit Semeiotice seu signorum Syndrome. Horum nescia, materiæ seu humori quantumvis facilem præbeat exitum, Diætices seu victûs rationis Expers, remediorum, quæ adhibenda, virtutum rudis, à Botanice, Pharmaciâ aut Chymiâ discendarum, nunquam ad debitam cicatricem perducet Chirurgia vulnus, nisi ob materiæ μετάστασιν, cum aliarum partium dispendio, proindeque mortis discrimine. At tumorum interna causa nimiùm ipsammet Medicinam sapere, ac extra Chirurgiæ limites inquis. Erras, aliter! Hanc Artem in solo manûs ministerio, uti topicorum admotione, fasciarum dispositione, manûs dexteritate, in vulneris curatione coerces, merèque instrumentalem prædicas; sicque de Arte nobili nimiùm detrahis. Quot indè mala ægrotanti qui post peractum à Chirurgiâ opus, naturæ soli aut ignari committeretur consilio? Lithotomiam quotidie absque Medicinæ præceptis, non solùm ab Anatomiæ minus peritis, sed & à Circulatoribus celebratam feliciter jactas: quæ, quamvis tum pro immani dolore, cùm pro partium aut incisarum, aut divulsarum, aut laceratarum texturâ debili & officio, quod calculo excmpto proinde morbi tollatur causa, suum peragit officium Chirurgia; non laudandi semper felices, nec culpandi infausti quamvis eventus. At quot miseri post calculi, vel ab Anatomicis extractione periêre: alius ob vires pro diuturniori dolore exhaustas, alius ob partium nervearum debiliorem texturam, immanes cruciatus ferendo impar: ille ob pravam fluidorum diathesim, à speciali potiusve individuali Therapeia solùm emendabilem; alium propter partium contusionem, dilacerationem, invasit febris quam mox excepit abcessus: in alio victus plenior & vini cordiaci nomine potus febriculam, semeiotices ignaro tantùm obscuram priùs immisit, quæ sensim in dies augendo, symptomata mortis prænuncia cum astantium stupore & desiderio, curantis opprobrio intulit: quæ tamen, Medicinæ principiis informata Chirurgia aut præcavendi aut sanandi, aut saltem prævidendi capax est.

V.

MEDICINÆ ministram & hujus utpotè partem eisdem subditam legibus fateris Chirurgiam, quam tamen præ cæteris Medicinæ partibus ad summas evehis laudes propter in theoriâ & in praxî aut inventa aut perfecta: erras. Et is non minus in ipsammet Medicinam quàm in Chirurgiam redundaret honos. Solus Medicinæ rudis nescit quot quantisque matheseos auxilio, Medicinæ pars quævis sit inventis locupletata. Jam hujus imbuta principiis Physiologia, Pathologia obscuros priùs naturæ motus explicat. Jam Chymia, Pharmacia saporum, odorum, proindeque medicaminum virtutis & agendi seu in fluida, seu in solida modi non ignaræ: jam Botanice quæ priùs vocum & nominum farrago, memoriæ potiùs quàm principiorum tenax pro florum,

ſeminumve figurâ, certa ſtatuit principia quæ etſi penè infinita numero vegetabilia, ad certas & numero paucas reducit claſſes; praxin ideò recenſitis quippe partibus fundatam, æquè adauctam non diffitebere. Quæ in Chirurgia jactas nova, non veteribus ignota fuere non inuſitata. Hippocratis, Galeni, Pauli Æginetæ, Cornelii Celſi, Albucaſis innumerorumque ſive Græcorum, Arabum ſive, ſive Latinorum libros evolve, te deluſum, te ineruditum agnoſces. Jam te inſtantem audio : quos ab Hippocrate ad hos uſque autores enumeras, Medico-Chirurgi fuere. Quæſtionem ſolvis : conſenſus ideò Medicinam inter & Chirurgiam curationes æque ac opera Chirurgica tutiùs abſolvit. At ſi Linguarum inſcitia prioris erroris cauſa fuit, rerum poſterioribus ſæculis in Medicinâ geſtarum hiſtoria ob oculos ponet Medicos, quibus Chirurgia ſuæ Artis debeat ſplendorem. Guidonem de Cauliaco in Arte Chirurgicâ Tyronum hactenus ducem, Tagaltium, Gormelenum ſi non ſcriptis, nomine ſaltem non ignoras. Ab Anatome jam accuratiori inventis locupletatâ & illuſtratâ Chirurgiæ progreſſum & decus repetis? At undenam tot inventa derivarunt? En turmatim quot habet anatome Inſtauratores, prodeunt Autores Medici. 1 Cæſalpinus. 2 Harveus. 3 Varolius. 4 Williſius. 5 Vieuſſenſius. 6 Petitus. 7 Euſtachius. 8 Ingraſſias. 9 Stenonius. 10 Verneyus. 11 Litreus. 12 Ruiſchius. 13 Helvetius. 14 Louverus. 15 Morgagnius. 16 Malpighius. 17 Winſlouvius: 18 Virſungus. 19 Nuckius. 20 Aſellius. 21 Pecquetus. 22 Reverhorſtus. 23 Heiſterus. 24 Riolanus. 25 Graaffus, 26 Ravius. 27 Jacobus Sylvius. 28 Veſalius, &c. Ne tibi mirum quod Anatomen tot inventis illuſtraverit Medicina : ſoli ſcientiæ competit rerum indagare cauſas, dum Magiſtrorum inhærens veſtigiis Ars nuda nihil novi, niſi fortuitò promit.

1 Sanguinis circuitum invenit. 2 Expoſuit. 3 Varolii pontem, Valvulas coli. 4 Cerebri & nervorum deſcriptionem. 5 Nervorum hiſtoriam, ſtructuram cordis. 6 Fibras medullæ oblongatæ, oculi accuratam anatomen. 7 Nervorum delineationem, ductum Thoracicum, Tubam Euſtachianam. 8 Stapetem auris. 9 Ductum ſalivalem carotidalem. 10 Auris ſtructuram. 11 Glandulam pituitariam. 12 Arteriam bronchialem. 13 Vaſorum pulmonis inæqualitatem. 14 Cordis ſtructuram. 15 Papillas valvulæ ſygmoidis cordis. 16 Viſcerum ſtructuram. 17 Cordis ſitum, orificium ſacci Epiploici, multorum muſculorum, v. g. *bicipitis ignotos uſus, tibiæ conformationem, oculi muſculos obliquos. 18 Ductum pancreaticum. 19 Structuram glandularum conglobatarum. 20 Venas lacteas meſenterii. 21 Chyli receptaculum. 22 Circuitum bilis. 23 Ductum ſpiralem colli veſiculæ felleæ. 24 Coli appendiculas pingues. 25 Partium genitalium ſtructuram. 26 Scroti ſeptum non ſimplex. 27 Valvulas venarum membranaceas. 28 Membri virilis ligamentum ſuſpenſorium invenit.*

Ergo Chirurgia Medicinæ principiorum inops eſt manca.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciſcus Leaulté, Chirurgiæ Latinæ Profeſſor.	*M. Fauſtus Alliot de Muſſay.*	*M. Petrus le Tonnelier.*
M. Antonius Millet.	*M. Nicolaus le Tellier.*	*M. Nicolaus Andry: Antiquus Facultatis Decanus, & Profeſſor Regius.*
M. Michael Peaget, rei herbariæ Profeſſor.	*M. Petrus Afforty, Pharmaciæ Profeſſor deſignatus.*	*M. Philippus Hecquet, Antiquus Facultatis Decanus.*

Proponebat Pariſiis, RAIMUNDUS DE LA RIVIERE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1730.
à ſextâ ad Meridiem.

Typis G. F. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1730.